

Utiles in hoc sensu sunt Latronum rapinae, Principum ambitiones, foederatorum perjuria, amicorum inimicorumque fraudes & fallaciae.

XXXVI. Porro Utile honesto opponitur *privativè*, quatenus Lex naturæ non violatur quidem: sed prætermittitur seu negligitur, id quod accidit in Rebusp. ubi si finis ultimus sive virtutis operatio obtineri nequeat, acquiescitur in fine intermedio, ita tamen ut mala non adhibeantur media. Pertinet huc distinctio, quam elicere possis è *Grotii lib. 1. cap. 1. n. 3.* honesti in sensu ajente, & negante, ubi sensus negans ejusmodi actum denotat, qui inhonestus non est, si vel maximè strictam & positivam honestatem non includat.

XXXVII. Tandem Utile honesto opponitur ut determinatum in determinato. Quædam enim in Lege naturæ occurrunt, quæ pro hoc rerum statu ad magnum aliquod commodum determinata sunt; quædam ejusdem commodi determinationem non habent, e. g. Nocentes esse puniendos dicitur natura; sed ejusdem est dictatum innocentes esse servandos. Jam incidere potest tempus, ubi nocentes aliter puniri nequeant, quam cum excidio multorum innocentium. Ea igitur pars respicitur, quæ determinationem habet ad præsentem utilitatem, & suspensâ poenâ, servantur innocentes. Sic in his legibus, expellendos esse hæreticos, fovendos orthodoxos, sæpè fit, ut altera sit utilis, altera minus utilis. Adde quæ supra diximus de collatione bonorum privatorum, publicorum & divinorum.

XXXVIII. Jam sic dicimus. Utilia in sensu primo *ib. XXXV.* nunquam sunt præferenda honestis, quia mala præferenda non sunt bonis. Si etiam aliquis consilia laudare velit Machiavellica, reponimus, quod habet Conringius l. c. cap. 2. p. 11. *Multa vobis imponunt specie utilitatis, cum utilia non sint, & paulò post majore damno lesam ad breve tempus honestatem quasi vindicent.*

XXXIX. Utilia quod attinet in sensu altero *ib. XXXVI.* de istis aliter judicandum est in statu naturali, aliter in legali.